



I, 16.



I, 16.

RECTOR  
ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS  
IOACHIMVS SAMVEL  
VVEICKHMANN

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR HVIVSQUE  
PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS SENATVS  
ECCLESIASTICI ASSESSOR AD OO. SS.  
PRAEPOSITVS SVIQVE ORDINIS  
H. T. DECANVS

I N S T I T V T V M  
GOTTLIEB AVG. ERNESTI NITZSCHII

WITTEBERGENSIS SAXONIS  
LIBERALITATIS WOLFRAMSDORFIAE MEMORIAM  
ORATIONE ANNIVERSARIA

A. D. V. KAL. MAI. A. R. S. CIO IO CCLXIII  
I N A V D I T O R I O M A I O R I  
C E L E B R A T V R I

C I V I B V S  
E T S T V D I O R V M F A V T O R I B V S  
C O M M E N D A T

---

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XIII.  
de originibus Saxonis VIII.*

---

VVITTEBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLIB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS

9.



**V**t tandem ad Saxonum nostrorum maiores ex haud intempestiuo diuerticulo redeamus, ad ea, quae in speciminibus IX. et X. de Cimbris et Ambronibus, in quorum non societate modo fuisse, sed sub nominibus etiam comprehensi adhuc Saxones videantur, praemisimus, amplius etiam confirmamus ex institutorum similitudine aliisque probabilibus indiciis. STRABO (l. VII.) de Cimbrorum vxoribus, militiae maritorum sociis, dum scribit, inter has fuisse feminas fatidicas, seu sacerdotes, refert, albo vestitu, linteis carbafeis fibula connexis, et zona substrictis, canis capillis, pedibus nudis, quae immolatis captiuis vaticinatae e sanguine extisque fuerint; quod sane de ritibus Saxonice suspicionem haud leuem mouere potest, quia APOLLINARIS SIDONIUS (l. VIII. epist. VI.) Saxones pro votis ob prosperum reditum decimum quemque captorum, sorte ductum, mactasse victimam testatur, et ENNODIUS, (in Vita S. Antonii Lerin.) Deos humana caede mulceri credidisse ipsos, auctor est. Accedit, quod MEGINHARDVS, scriptor quantiuis pretii, et ingenti litterarum harum bono nuper a SCHEIDIO, V. Ill., in lucem publicam protractus, (in Biblioth. Goetting. Histor. T. I. ab. init.)

quum Saxonum mores institutaque, antequam Christo conciliarentur, ignorare omnium minime potuerit, omnia ea, quae de Germanis in commune TACITVS (Germ. c. IX. et X.) tam de humanis victimis, quam auspiciis, persimilia Plutarcheae narrationi prodidit, Saxonibus proprie attribuit; vnde deinde ADAMVS, Bremensem quem vocant, totidem verbis, nisi quod pro Meginhardi nomine manifesta scribae culpa Eginhardus auctor laudatur, (Hist. Eccl. l. I. c. VI.) eam particulam exseripit. Et vt id, quod vel minimum fuerit, sumamus pro comperto, de origine Saxonum Teutonica atque Germanica ob hanc morum conuenientiam porro haud dubitabimus, si rationi aures praebuerimus. Non hic attingemus, quae in alium locum referuamus, argumenta, ex cognatione linguarum vetustissimarum Scandinaviae, Daniae, Holsatiae Frisiae, Belgii, et vicinarum regionum. De habitu potius, quem feminis sacerdotibus Cimbrorum, vtpote honoratioribus, PLVTARCHVS tribuit, consideranda erunt, quae TACITVS habet: (Germ. c. XVII.) *Nec alius feminis, quam viris, habitus, nisi quod feminae saepius lineis amittibus velantur*, et deinceps. Quae sequuntur de purpura, qua hos variauerint, satis indicant, ornatus maioris dignitatis feminarum describi. Sed hanc linearum vestium aestimationem

PAVL-

PAVLLVS, VARNEFRIDI F., (de reb. gest. Langob. l. IV. c. XXIII.) Langobardis et Anglo Saxonibus communem fuisse indicat, vbi veteres picturas in reginae Theudelindae palatio Modiciensi describit. Haec vero etsi nondum plane fidem faciant, Cimbricae originis Saxones fuisse; hoc tamen monstrabunt, communem stirpem auitis et natiuis harum gentium moribus atque ritibus argui. Sed quia semel in hunc locum de habitu antiquorum Saxonum incidimus, nonnulla adhuc persequemur, quorum vsus posthac esse possit insignior. APOLLINARIS SIDONIUS (l. VIII. epist. IX. in carmine v. 21.) ornatum comarum Saxonicum sic describit:

*Istic Saxona caeruleum videmus  
 Adfuetum ante salo, solum timere;  
 Cuius verticis extimas per oras  
 Non contenta suos tenere morsus  
 Altat lamina marginem comarum:  
 Et, sic crinibus ad cutem recisis,  
 Decrescit caput, additurque vultus.*

Est haec scriptura huius loci, quam plerique vt emendam sequuntur. Sed non erat dubitandum de WOVWERII correctione, qui pro: *altat*, reponi voluit: *artat*. Nam ista lamina, cui poëta morsus tribuit circa verticis oras,

efficere non poterat altum quendam comarum, vt TERTVLLIANI verbo vtamur, suggestum, et si huius ope caput decrescebat, vultusque addehatur, satis liquet, fibula quadam, seu capistro, compressos potius, quam in altitudinem erectos capillos illis fuisse. GREGORIVS, Turon. antistes, (l. X. c. IX.) vbi Saxones Baiocassinos secundum ritum Britannorum tonsos scribit, quid per crines ad curim recisos in Sidonio intelligendum sit, satis docet, et superest hodieque istius tonsurae forma in numis Anglosaxonum vetustis. Et si in his proprio instituto rituque delectati sunt Saxones, alia tamen cum reliquis Germanis communia habuere, in quibus mos barbam capillumque promittendi, neque prius, nisi vltione de hostibus exacta ponendi, fuit, testibus GREGORIO eodem (l. V. c. XV.) et PAVLLO LANGOBARDO. (l. III. c. VII.) At enim Catts, Batauis, et Francis idem vsitatum, iam HERTIVS (Notit. vet. Germ. pop. Part. I. c. V. §. II.) ostendit. Hinc AVRELIVS VICTOR (de Caes. c. XXXIX.) recte Carausium narrat, *parandae classi ac propulsandis Germanis praefectum*. In his vero praecipuos fuisse Saxones, quis ignorat? CLAVDIANVS (de bello Gild. v. 372.) his versibus:

ε X

Ger-



*Germania tota feratur  
Nauibus, et socia comitentur classe Sigambri.*

non alios intelligere potuit, quam Saxones. Quamuis enim iam tum Sigambros coaluisse cum Francico corpore discamus e GREGORIO, Tur. antist., (l. II. c. XXXI.) VENANTIO FORTVNATO, (l. VI. carm. V.) HINGMARO; (vit. S. Remigii l. II. c. XI.) sub Honorio tamen illis iam classes vix tribui poterunt. Sed Saxones, iam captis pristinis Sigambrorum sedibus, eodem exemplo, quo in specimine XI. a VENANTIO Cheruscas adpellari docuimus, priorum cultorum nomen apud poëtam obtinere. Et sane haec eo valeant, ne quidam porro stirpem Germanicam nostris maioribus inuideant. Sed, vt aperte profiteamur, quae nostra sit sententia, hoc statuimus, bello Cimbrico interfuisse ipsos, nondum inuento ab occupatione nouarum sedium Saxonum nomine, forte adhuc Ambrones dictos, siue eiusdem corporis, seu in societate tantum fuerint.

Bene certe atque feliciter cuncta per Dei immortalis clementiam nomini Saxonico proueniant; nunc praesertim, quando restituae  
paciae

pacis laetitia omnium animos intrat, et coelo  
propitio publice priuatimque pia vota persolue-  
re iuuat! Hac etiam mente GOTTIEB AV-  
GVSTVS ERNESTVS NITSCHIVS, Witteb.  
Sax. sanctioris disciplinae cultor ornatissimus, ex  
Mareschallianae liberalitatis lege institutoque  
delectus orator, a. d. V. Kal. Mai. in auditorio  
maiori verba faciet, et de veterum Christiano-  
rum laetitiae religiosae et publicae significatio-  
nibus per dies inter pascha atque pentecosten in-  
teriectis aget. Fauete, GENEROSISSIMI atque  
PRAENOBILISSIMI CIVES, tam praeclaro co-  
natui, et frequentia ac beneuolentia VESTRA  
efficite, vt honorem suae diligentiae studiisque  
habitu Nitschius hic noster pro optimo  
securae fortunae augurio iam  
nunc accipiat.

---

P. P. Vitebergae a. d. VI. Kal. Mai. A. R. S.  
c1c1c1 CCLXIII.



T. 2972

ULB Halle  
007 441 851


3



40







RECTOR  
ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS  
IOACHIMVS SAMVEL  
VVEICKHMANN

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR HVIVSQVE  
PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS SENATVS  
ECCLESIASTICI ASSESSOR AD OO. SS.  
PRAEPOSITVS SVIQVE ORDINIS  
H. T. DECANVS

I N S T I T V T V M  
GOTTLIEB AVG. ERNESTI NITZSCHII

WITTEBERGENSIS SAXONIS  
LIBERALITATIS WOLFRAMSDORFIAE MEMORIAM  
ORATIONE ANNIVERSARIA

A. D. V. KAL. MAI. A. R. S. CIOIO CCLXIII  
IN AVDITORIO MAIORI  
CELEBRATVRI

C I V I B V S  
ET STVDIORVM FAVTORIBVS  
C O M M E N D A T

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XIII.  
de originibus Saxonis VIII.*

VVITTEBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS